



SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De discipulis: & quòd eos studiosè ac diligenter ad disciplinas accedere oporteat, nec doctrinæ laborem defugere, sed percontari, ac discere ab iis qui norunt. cap. xciiii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

D. IOANN. DAMASCENI

tia coniunctum.

Atilana. • Eum, qui continentiae studet, turbas fugere conuenit, ut & mentem ab omni distraetione liberam, & pectus ab omni perturbatione purum habeat. Siquidem in turbis ingens est perturbatio.

Clement. Non dormientium & ignavorum Dei regnum est: sed violenti rapiunt illud. Etenim hoc unum violentiae genus laude dignum est, nempe Deo vim afferre, atque ab eo vitam extorquere. Ipse autem cum se à quibusdam arcte, vel potius violenter, stringi videt, dat manus, ac cedit. Gaudet enim ad hunc modum vinci.

Nili. • Num enim athleta vestibus induit certant? Nudos eos in arenam lex palestrae ducit, siue astus sit, siue frigus. Quod si quis eorum corporis denudationem detrectet, eadem quoque opera certamen detrectat.

Nudus fugiet in die illa. Ob eamque causam Proverbiorum author ad aliptam dicebat, Deme ipsi vestimentum: transit enim hoc est, in arenam descendit. Nudum porro luctari oportet. Imò vero non nudum duntaxat, sed etiam unctum. Etenim nuditas quidem hoc prestat, ut aduersarius pugilem contrectare nequeat: oleum autem id efficit, ut etiam si fortasseprehendatur, tamen ex hac prehensione elabatur. Eoque sit, ut athletæ aduersarios terra conspergere studeant: ut olei lenitatem puluere asperantes, facilius eos prehendere queant.

Philonis. Vir probus paucis rebus indiget, ut qui in immortalis & mortalis naturæ meditullio sit. Etenim ob corpus mortale, hoc habet ut egeat: ut autem non multis egeat, ob animum immortalitatis cupiditate flagrantem.

De discipulis: & quod eos studiosè ac diligenter ad disciplinas accedere oporteat, nec doctrinæ laborem defugere, sed percunctari, ac discere ab ijs qui norunt. C A P. XC III I.

Deut. 32.



N T E R R O G A patres tuos, & dicent tibi: maiores tuos, & annunciatibunt tibi.

Prov.

8.

4

Ecli. 6.

Phil.

Fili, non te apprehendat consilium malum, aut relinquas doctrinam uuentutis. Stulto interroganti sapientiam, sapietia reputabitur. Accipite disciplinam meam, & non pecuniariam: doctrinam magis quam aurum elige. Posside sapientiam, posside prudentiam: arripe illam, & exaltabit te dabit capiti tuo augmenta gratiarum. Fili, da disciplinæ cor tuum.

Fili, à iuuentute excipe doctrinam, & usque ad canos inuenies sapientiam. Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius. In opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors. Inuestiga illam, & manifestabitur tibi: & ea potitus ne derelinquas eam. In nouissimis enim inuenies requiem in ea: & conuertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriae. Decor enim vita est in illa. Fili, si attenderis mihi, disces: & si accommodaueris animum tuum, sapiens eris.

Quædere ac percunctari, res est ad comparandam doctrinam maximè frugifera.

Qui scientiae fame ac siti afficitur, atque ea, quæ ignorat, discere studet, relictis omnibus alijs curis ad auditionem contendit, ac noctu & diu ad sapientum virorum fores excubat.

Quod quisquam sciat se nescire, sapientia est: quemadmodum & quod sciat se iniuste egisse, iniustia.

De